

hodie est servandae in docendo gravitatis, constantiae & dignitatis ratio, aut haec erit, quam describere, certe adumbrare quodammodo conati sumus. Hujus enim recto & prudenti usu primum lenitur & mitigatur illud doctrinae, quam dicunt, systematicae odium. Refellit enim sectae calumniam & docentem liberat superbiae culpa & arrogantiae. Deinde efficit moderatos, veri amantes & studiosos cum praeceptores tum discipulos. Praeceptores eclectici solent monere suos, ut fugiant illa profanarum opinionum monstra, & malint frui certis salutaris doctrinae bonis, quam certare cum istis larvis & spectris, quae neminem poterunt reddere pavidum & animo consternatum, nisi qui reliquerit illa firmitatis praesidia, h. e. veri & simplicitatis amorem & studium, & abjecto divinae revelationis lumine, in tenebris versari voluerit. Eam denique discipulis praescribunt & commendant discendi rationem, ut, quae tradi solent in scholis, excipiant ea quidem bona fide, sed reservent ad iudicii maturitatem, donec ipsi possint discernere, quam vera sint, & suum cuique rei statuere pretium. Interim nolint neque sibi sapere, neque aliorum opinionibus & placitis ita confidere, ut putent, se habere perfectam, plenam atque absolutam sapientiae formam. Nam qui hoc sibi persuasum habent in scholis adolescentuli, vel ex ingenii tumore quodam, vel ex inculcata magistri auctoritate, ii, cum postea viri facti sunt, aut evadunt Thrasones fatui & intolerabiles suae eruditionis jactatores, aut, cognita pristinae doctrinae vanitate, nec parato alio quodam & firmiori veritatis praesidio, ad profanitatem, certe ad scepticismum devolvuntur.

Licebit igitur adhibere in scholis illud doctrinae genus eclecticum, cujus vim, rationem & usum breviter explicavimus, licebit, inquam, propterea quod & per se sanum est, omnique verae sapientiae acquirendae quam maxime accommodatum, & hodie, in tantis motibus, ubi rerum sacrarum & civilium fundamenta convelluntur & labefactantur, ab ipsa ratione videtur imprimis commendari religiosi & probis artium litterarumque in scholis praecceptoribus & magistris.

Sed haec nuncquidem sufficiant. Veniamus ad ea, quae hujus temporis sunt & loci. Namque anno scholastico ad finem propinquante, nostrum iam est, operarum fructus proferre: id quod d. Mart. XXX. in examine I. classis iussu & auspiciis *Senatus amplissimi* instituendo

tuendo